

Prove di ammissione 2012-13

Latino II prova

Cicerone, *Brutus* 330-332

Il candidato traduca in lingua italiana il seguente testo e sviluppi un breve commento avendo come traccia i seguenti argomenti:

- la situazione politica del 46 a. C., anno di composizione dell'opera;
- la funzione dell'eloquenza nella società romana nella fase repubblicana;
- l'involuzione della retorica in epoca imperiale;
- il ruolo di Cicerone nella storia dell'eloquenza.

Nos autem, Brute, quoniam post Hortensi carissimi oratoris mortem orbae eloquentiae quasi tutores relictis sumus, domi teneamus eam saeptam liberali custodia, et hos ignotos atque impudentes procos repudiemus tueamurque ut adultam virginem caste et ab amatorum impetu quantum possumus prohibeamus. equidem etsi doleo me in vitam paulo serius tamquam in viam ingressum, priusquam confectum iter sit, in hanc rei publicae noctem incidisse, tamen ea consolatione sustentor quam tu mihi, Brute, adhibuisti tuis suavissimis litteris, quibus me forti animo esse oportere censebas, quod ea gessissem, quae de me etiam me tacente ipsa loquerentur viverentque mortuo; quae, si recte esset, salute rei publicae, sin secus, interitu ipso testimonium meorum de re publica consiliorum darent. sed in te intuens, Brute, doleo, cuius in adolescentiam per medias laudes quasi quadrigis vehementem transversa incurrit misera fortuna rei publicae. hic me dolor tangit, haec me cura sollicitat [...]. tuum enim forum, tuum erat illud curriculum, tu illuc veneras unus, qui non linguam modo acuissemus exercitatione dicendi, sed et ipsam eloquentiam locupletavisses graviorum artium instrumento et isdem artibus decus omne virtutis cum summa eloquentiae laude iunxisses. ex te duplex nos afficit sollicitudo, quod et ipse re publica careas et illa te. tu tamen, etsi cursum ingeni tui, Brute, premit haec importuna clades civitatis, contine te in tuis perennibus studiis et effice id quod iam propemodum vel plane potius effeceras, ut te eripias ex ea, quam ego congessi in hunc sermonem, turba patronorum.